



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Marcus. 25. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

262 VITÆ SANCTORUM. 25. April.  
leguminibus vixit, etiam tunc, cum ab  
Hierosolymitano itinere & longâ Sara-  
cenorum captivitate redux continuâ fe-  
bri laboravit? Superi! quis nostrum  
ægro corpusculo facit tam ægrè? Nimi-  
rum Virgo facit, ut periclitanti pudici-  
tiæ medicinam faciat. Et arrisit his stu-  
diis Christus ipse, qui Jerosolymæ ad  
sepulchrum suum orantis Bonæ capiti  
ter manum suam imposuit, & post qua-  
dragintadiæ jejunium traductum, in eâ-  
dem eremo à Virgine, in quâ ipse tradu-  
xerat olim, annulo sibi visendus despon-  
savit, multisque aliis miraculis ornavit.  
Ultimò è vitâ BONA inter risum cantul-  
que abiit. Quid miraris lector? dum vixit,  
flevit. Ex Brevio 13. tom. ann. Eccl.

*Fidelis & religiosus animus ea, quæ  
sunt caelestia, concupiscat, & divinam  
promissionum avidus in amorem se incor-  
ruptibilis boni & in spem veræ lucis attol-  
lat. S. Leo Papa in Ann. Assump. suæ  
ferm. 2.*

S. MARCUS. 25. Aprilis.

**M**ARCUS ut primùm res Christi ge-  
stas litteris consignavit, à Petro  
Alexandriam legatus est: cum ipso etiam  
Evangelium in urbem penetravit. Cùm  
enim sub portâ Anianus cerdo detri-  
tas Apostoli soleas reficeret, subulâ-  
que in lavam exerrante, Deum, ut  
fit

25. April. VITÆ SANCTORUM. 263  
fit in adversis, in clamaret, M A R C U S  
vulneri remedium fecit, & Anianum  
magno operæ pretio ad Christi Religio-  
nem traduxit. Sed cum ob quotidiana  
fidei incrementa M A R C U S insidiis ap-  
peteretur, Anianum pro se urbi Episco-  
pum dedit, ipse Penrpolim abiit, Indi-  
dem biennio post Alexandriam rediit,  
ubi ad aram ipse Dominicæ Resurrectio-  
nis festo die captus raptatusque per ur-  
bem, Paschalis pro Christo factus est  
victima. Eâ nocte Angelus nomen suum  
Marco albo Cæli inscriptum monstra-  
vit, & Christus ipse magno præsens  
fuit solatio: postera luce cum laqueo gu-  
la implicaretur, tam citò confringi non  
potuit, quin celerior anima ad Superos  
evolaret. Cadaver ne tortores exurerent,  
coorta repente tempestas rogam omnem  
cum bustuariis disjecit. Nunc de illius  
tumulo Italia Germaniaque certant, ut  
de Homeri cunis Græciæ urbes, litetan-  
tò sanctiore, quantò dignior est, qui  
Christi, quàm qui Achillis prælia scri-  
psit. Ex Brev. Rom. & S. Hieron.

*Sic est vita nostra, quasi homo in domo  
alienâ; nesciens quâ horâ vel die dominus  
domûs dicat: vade foras, quia non est do-  
mus tua, in qua es. O seculum vanum!  
quid nobis tanta promittis, dum decipis?*  
Auctor. serm. ad Fr. in Eremito.